Hoc est translatum sumptum fideliter a quadam carta pergamenea reverendorum et religiosorum fratrum dominorum Bonifacii prioris maioris domus Cartusie ceterorumque diffinitorum capituli generalis dicte domus eorum sigillo in cera viridi cum cinta pergamenea appendicio communita cuiquidem carte tenor sequitur et est talis. Nos frater Bonifacius prior maior domus Cartusie ceterique diffinitores capituli generalis tenore presencium concedimus priori domus Sancti Pauli nostri ordinis videlicet de consilio visitatorum possit vendere certos redditus quos eadem domus habet in loco de Vallesio Barchinone diocesis et in barrio dela Venteresa qui non sine magnis laboribus et expensis possunt recuperari ita tamen quod pecunie quas inde habuit ad nullos alios usus possint expendi nisi dumtaxat ad alios redditus adquirendos. In cuius rei testimonium sigillum nostrum presentibus duximus apponendum. Datum Cartusie die sextadecima madii anno domini millesimo quadringentesimo octavo nobis sedentibus in generali capitulo.

Signum Petri Caponis auctoritate regia notarii publici Barchinone testis.

Signum Bernardi Bartholomei, abbreviatoris auctoritate regia notarii publici Barchinone testis.

Signum Guerrandi Carbonis baiuli Barchinone qui huic translato a suo originali fideliter sumpto et cum eodem veridice comprobato non viciato neque in aliqua sui parte suspecto ex parte domini regis et auctoritate officii quo fungimur (?) auctoritatem impendimus et decretum et eidem translato tamquam suo originali in iudicio et extra fidem plenariam ab omnibus impendatur. Appositum per me Petri Clanerii auctoritate regia notarii publici Barchinone pro ... regentis scribaniam baiulie hanc firmam fecit de voluntate discreti Gaspar (?) Ferrandelli notarii et scribe curie dicti baiuli negocia occupati, vicesima octava die ianuarii anno a nativitate domini millesimo CCCC duodecimo presentibus testibus Iohanne Guardiola et Francisco Finestres notariis civibus Barchinone. Et ideo ego Petrus Clanerii notarius predictus hec scripsi et hoc meum hic apposui signum.

Signum Petri Andree regia auctoritate notarii publici Barchinone. Qui hoc translatum sumptum fideliter a suo originali et cum eo de verbo ad verbum legitime comprobatum scribi fecit et postmodum auctorizatum et decretatum per venerabilem baiulum Barchinone ut supra patet clausit vicesima nona die ianuarii anno a nativitate domini millesimo quadringentesimo duodecimo.

P. m. ori.

Bonifaci, prior major de la Cartoixa, concedeix al prior de la cartoixa de Sant Pol de Mar una [...], 16/5/1408, p. 1
Col·lecció de pergamins / Arxiu Municipal de Granollers